

PA  
6644  
A2  
1984

CIP-Kurztitelaufnahme der Deutschen Bibliothek

**Propertius, Sextus:**

[Elegiae]

Sexti Properti elegiarum libri IV/ed. Paulus Fedeli. –  
Stuttgartiae: Teubner, 1984.

(Bibliotheca scriptorum Graecorum et  
Romanorum Teubneriana)

ISBN 3-519-01739-3

ISBN 3-519-01740-7

NE: Fedeli, Paolo [Hrsg.]

Das Werk ist urheberrechtlich geschützt. Die dadurch begründeten Rechte, besonders des Nachdrucks, der Wiedergabe auf photomechanischem oder ähnlichem Wege, der Speicherung und Auswertung in Datenverarbeitungsanlagen, bleiben, auch bei Verwertung von Teilen des Werkes, dem Verlag vorbehalten. Bei gewerblichen Zwecken dienender Vervielfältigung ist an den Verlag gemäß § 54 UrhG eine Vergütung zu zahlen, deren Höhe mit dem Verlag zu vereinbaren ist.

© B. G. Teubner, Stuttgart 1984

Printed in Germany

Satz: pagina GmbH, Tübingen

Druck und Bindung: Passavia Druckerei GmbH Passau

*Manibus  
Aelii Pasoli  
sacrum*

mihi quidem, quamuis est subito ereptus,  
uiuuit tamen semperque uiuet; uirtutem enim  
amaui illius uiri, quae exstincta non est

(Cic. de amicitia 102)

PRAEFATIO

Haec Properti elegiarum editio his codicibus nititur:

Codex **Guelferbytanus Gudianus 224, olim Neapolitanus**. Hic liber membranaceus, saeculo XII exeunte uel XIII ineunte exaratus<sup>1</sup>, foliis constat 71, quae per octo quaterniones et unum quinionem distribuuntur; quinio tamen septem tantummodo folia habet, cum folium intertulerit, ubi uu. 17 – 76 extremae libri IV elegiae continebantur, praetereaue duo folia superuacanea, quae librarius ipse resecurit<sup>2</sup>.

Codicem Neapolitanum in Gallia exaratum esse uerisimile est; in ultimo enim codicis folio manus quaedam saeculi XIII uocem *goeric* (fortasse *goericus*) scripsit; cum Goericus saeculo VII Mettis episcopus fuerit, codicem Neapolitanum prope Mettim scriptum esse ualde probabile est<sup>3</sup>. Media, quae dicitur, aetate exeunte codex Neapolitanus in Italiam translatus est<sup>4</sup>. Cum in ultimo folio nomen *Manetti* a manu recenti scriptum legatur,

<sup>1</sup> Cf. James CIR 17 (1903) 462; Ullman CIPh 6 (1911) 283.

<sup>2</sup> Cf. Birt p. II.

<sup>3</sup> Cf. James CIR 17 (1903) 462sq.

<sup>4</sup> Vir doctus Antonius La Penna, Integr. p. 244 codicem Neapolitanum a Poggio, a. 1417 quartum iter faciente ad nouos libros inuestigandos, in Italiam missum esse censet.

1275085 N

sunt qui censeant Neapoli Iannotium Manetti († 1459) in codicis possessionem uenisse<sup>5</sup>. In ecclesia Neapolitana S. Iohannis a Carbonara custoditus, N a Nicolao Heinsio per Italiam peregrinante anno 1647 fortasse conlatus est. Anno 1662 codex emptus est a Marquardo Gudiod Rendsbergensi, qui in Germaniam eum transtulit; post Gudii interitum (a. 1689), cum eius libris manu scriptis in bibliothecam Guelferbytanam inuectus est (a. 1710), ubi nunc asseruatur<sup>6</sup>.

Vir doctissimus Birt, qui Neapolitanum summa cura inuestigauit eumque phototypice edidit, a duobus librariis eum scriptum esse censuit: alter folia 1 - 48 (ab u. 1,1,1 usque ad u. 3,13,16), alter folia 49 - 71 (a u. 3,13,17 usque ad finem) exarauit. Inde a folio 33 usque ad folium 48 atramenti color pallescit; attamen haec folia ab eodem scriba, qui folia 1 - 32 exarauit, conscripta esse patet, quamquam aliter sentiunt Plessis<sup>7</sup>, Richmond<sup>8</sup> et Enk<sup>9</sup>. In foliis 1 - 48 codicem Neapolitanum a quattuor correctoribus emendatum esse, inter quos idem amanuensis foliorumque 49 - 71 scriba dinoscantur, censet Birt; in foliis 49 - 71 duae manus textum correxerunt.

In codicis margine ad singulos foliorum 1-30r uersus persaepe litterae adscriptae sunt, quarum significatio non semper est perspicua: cf. e. g. *r* (*require?*), *q* (*quaere?*), *u* (*uide?*), *t* (*tene?*), *n* (*nota?*)<sup>10</sup>.

<sup>5</sup> Cf. tamen quae de hac re fuse disputant uiri docti Butler et Barber p. LXXI.

<sup>6</sup> De tota hac re cf. Birt p. XXVI.

<sup>7</sup> Plessis, *Ét. crit.* p. 7.

<sup>8</sup> In editione Cantabrigiensi a. 1928, p. 9.

<sup>9</sup> I 1,42.

<sup>10</sup> De tota hac re cf. K. Dziatzko *JCIPh* 153 (1896) 63-70 et Th. Birt. (Interdum litterae non recte recognitae n et u - nonnumquam a et u - immutatae a scriba esse uidentur.) De codicis N casibus cf. La Penna *SIFC* 25 (1951) 229. Codicem N praecipue inuestigauerunt W. Grumme, De codicibus Propertianis Groningano et Neapolitano. *Quaestio critica*, *GymnProgr.* Aurich 1868; L. Müller *RhM* 27 (1872)

Codex **Leidensis Vossianus 38**. Hic liber membranaceus 16 foliis linearum 24 constat desinitque post u. 2,1,63; eum olim totum Propertium exhibuisse facillime conicere licet, cum in fine ultimae paginae secundi quaternionis primum uerbum (*senserat*) proximi quaternionis legatur. Quando codex A exaratus sit, non omnes uiri docti consentiunt: Aemilius Baehrens<sup>11</sup> codicem circa annum 1360 scriptum esse autumat. Vir doctus Ullman<sup>12</sup> eundem codicem esse contendit, cuius Ricardus Furniualensis in librorum manu scriptorum indice, quos uiri docti in bibliotheca sua adseruare debeant, circa annum 1250 mentionem facit aut apographon huius codicis<sup>13</sup>. Omnes fere Propertii editores, uiros doctos Maunde Thompson<sup>14</sup> et James<sup>15</sup> secuti, Vossianum circa a. 1300 in Gallia exaratum esse censent. Codex A Pauli Petauui in manibus fuit, cuius nomen in primi folii margine legitur. Vir doctus Ullman<sup>16</sup> Petauium a Petro Daniele Aurelianiensi codicem emisse autumat; cum constet Petrum Danielem aliquot codices Floriaci (hodie Fleury) in monasterio S. Benedicti emisse, sunt qui censeant codicem Vossianum in illo monasterio exaratum esse. Alexander, Petauui filius, Isaaco Vossio codicem uendidit, quem postea a Vossii heredibus bibliotheca uniuersitatis Lugduno-Batauae emit. Idem est codex ac Burmanni Vossianus secundus.

Codex **Laurentianus plut. 36,49**. Huius codicis membranacei, qui in foliis 73 linearum 28 totum Propertium

162sq.; R. Ellis *AJPh* 1 (1880) 389-401; id. *TOPhS* 1880-81, 1-3; A. Palmer *Hermath.* 7 (1881) 40-72; M. R. James *CIR* 17 (1903) 462sq.

<sup>11</sup> In editione sua, p. IV.

<sup>12</sup> Ullman *CIPh* 6 (1911) 284.

<sup>13</sup> Vir doctus Schuster, in editione Teubneriana a. 1958, hanc de apographo sententiam "proxime ad uerum accedere" censet.

<sup>14</sup> Maunde Thompson *CIR* 9 (1895) 148.

<sup>15</sup> James *CIR* 17 (1903) 463.

<sup>16</sup> Ullman *CIPh* 6 (1911) 285.

continet, Colucius Salutatus (1330–1406), Florentinorum ille cancellarius, in possessionem uenit, ut eius autographum (*Liber Colucii pyerii*) in fine libri ostendit. Vir doctissimus M. Haupt<sup>17</sup>, Colucii epistulas inuestigans, primus uidit Petrarcae Propertii exemplar tenuisse. Hac re nisus B. Ullman dilucide ostendit codicem F e Petrarcae codice recta uia manuisse. Hoc exemplar Lombardus a Serico, qui post Petrarcae obitum eius bibliothecae curam habuit, Colucio petente exscribendum curauit inter annos 1379 et 1381<sup>18</sup>. Post Colucium Cosma de Medicis librum tenuit, ut eius autographum in fine libri ostendit (*Liber Cosme Iohannis de Medicis*).

Complures correcturas codex F exhibet, quas dinoscere perdifficile est: saepe idem scriba textum immutauit (F<sup>2</sup>), interdum Lombardus a Serico uarias lectiones induxit, quas fortasse ipse Petrarca in margine libri sui adnotauerat (F<sup>3</sup>); permultae seriorum manuum correcturae siglo F<sup>4</sup> designantur<sup>19</sup>. Alicia Catharina Ferguson codicis Laurentiani manus correctrices accuratissime inuestigauit; eius dissertatione usus sum, quamquam cum ea saepe dissentio<sup>20</sup>. Codicem F primus Aem. Baehrens in apparatus induxit, qui tamen satis neglegenter eius lectiones contulit, ut ipse confessus est<sup>21</sup>.

<sup>17</sup> Haupt, Opusc. I, p. 279.

<sup>18</sup> Idem scriba Petrarcae libri De uiris illustribus, qui hodie in Bibliotheca Vaticana asseruatur (Ottonianus-Vaticanus lat. 1883), maximam partem exarauit: cf. Ullman CIPh 6 (1911) 288–297; id., The Humanism of Coluccio Salutati, Patauii 1963, p. 263.

<sup>19</sup> De codicis F correcturis nuperrime disseruit S. Rizzo, Il lessico filologico degli umanisti, Romae 1973, p. 274.

<sup>20</sup> De codice F cf. Ullman, The Humanism of Coluccio Salutati, Patauii 1963, p. 144.

<sup>21</sup> Cf. p. V eius editionis: “hic codex a me primo a. 1876 est conlatus, sed propter temporis quibus tum premebar angustias properantius; unde quae postea dubitationes locis nonnullis subnatae sunt, eas conciliante beniuole Domenico Comparetti eleuauit Nicolaus Anziani”.

Codex **Holkhamicus Misc. 36**, olim Holkham. 333. Hic codex membranaceus, qui foliis constat 17, cum primus quaternio primusque secundi quaternionis folium perierint, Propertii elegias inde a 2,21,3 continet. Iohannes de Campofregoso eum exarauit, quod opus die X mensis Octobris a. 1421 ad finem perduxit, ut haec ostendunt in fine codicis subscripta:

*M<sup>o</sup>CCCCXXI<sup>o</sup> die X<sup>o</sup> Octobr.*

*Hic tua properti perfecit scripta Iohannes  
Campofregosa stirpe pia genitus*

Codex Holkhamicus olim Neapoli asseruabatur in bibliotheca Iosephi Valettae<sup>22</sup>. Cum Thomas Coke primus comes de Leicestria (1697–1759) Neapolim iter fecerit a. 1714 et a. 1716, uerisimile uidetur eum a. 1716 librum manu scriptum emisse, qui olim Holkhamii in bibliotheca comitis de Leicestria asseruabatur, nunc Oxonii in bibliotheca Bodleiana custoditur<sup>23</sup>.

Codex **Parisinus Lat. 7989**. Hic notissimus codex, qui et Traguriensis appellatur, cum circa a. 1650 Tragurii (hodie Trogir in Dalmatica regione situm) a Marino Statileo in bibliotheca Nicolai Cippico repertus sit, Tibullum (f. 1sq.), Propertium (f. 44sq.), Catullum (f. 132sq.), Epist. Sapphicam (f. 180sq.), Petronium (f. 190sq.), Moretum (f. 229sq.) et Claudiani “De Phoenice” (f. 233sq.) continet. In fine Catulli operis (f. 179) legitur: *1423 di 20 nouemb.*

Cum Poggii epistulas contulisset, uir doctissimus A. C. Clark<sup>24</sup> dilucide ostendit Cenam Trimalchionis, quam P unus tradit, exemplar “particulae Petronii” esse, quam Poggius e Britannia ad Nicolaum Niccoli misit; codex igitur e Poggii sodalicio originem ducit.

<sup>22</sup> Cf. C. W. James ap. B.-B. p. LXXV.

<sup>23</sup> Quod adinet ad adfinitatem inter L et Petrarcae librum manu scriptum cf. quae disserit A. C. Ferguson p. 3sq., adn. 4.

<sup>24</sup> Clark CIR 22 (1908) 178.

Codex P primae alteriusque manus correcturas exhibet, quas Antonius La Penna accuratissime dinouit<sup>25</sup>. Vir doctus B. Ullman, consensu inter plurimas primae manus correcturas et Neapolitani lectiones nisus, Poggium codicem Neapolitanum mense Maio a. 1423 in Italiam tulisse et Parisinum cum Neapolitano conlatum esse censuit.

Codex **Dauentriensis I. 82**, olim 1792. Hic codex membranaceus, qui foliis 68 constat unumque Propertium continet, cum unum folium perierit a 1,2,14 incipit. In Italia saeculo XV ineunte exaratus, correcturas alterius manus exhibet. Olim Petri Burmanni Secundi (1714-1778) fuit; nunc in bibliotheca urbis Nederlandicae Dauentriae aseruat.

Codex **Vaticanus Ottob. Lat. 1514**. Hic codex membranaceus, saeculo XV exaratus, qui foliis 83 constat totumque Propertium continet, eiusdem scribae correcturas plurimasque uarias lectiones uel emendationes docti cuiusdam aetatis qua humanae litterae sunt restituae exhibet (V<sup>2</sup>). Quod adtinet ad doctum correctorem, de Lucido Fosforo agi censet Simar<sup>26</sup>; cf. tamen quae iure contendit La Penna SIFC 26 (1952) 15sq. Manus recentior (V<sup>3</sup>) hic illic textum immutauit (1,2,13.18; 2,22,48; 2,31,3; 2,32,4; 3,10,21sq.; 4,3,21; 4,11,43.46. 52).

Codex **Leidensis Vossianus 117**. Huius codicis membranacei, saeculo XV exarati, iam mentionem fecerat Petrus Burmannus Secundus in editionis suae praefatione<sup>27</sup> eumque Vossianum primum appellauerat. Vir doctus Richmond in bibliotheca uniuersitatis Lugduno-Ba-

<sup>25</sup> La Penna SIFC 26 (1952) 32-35.

<sup>26</sup> Simar MusBelge 13 (1909) 96.

<sup>27</sup> *Sexti Aurelii Propertii elegiarum libri IV*. Cum commentario perpetuo Petri Burmanni Secundi et multis doctorum notis ineditis. Opus Burmanni morte interruptum Laurentius Santenius absoluit, Traiecti ad Rhenum 1780, p. III.

tauae eum repperit iniuriaque inter codicum D et V fontes habuit<sup>28</sup>.

Vbi codex Neapolitanus lacunam exhibet (4,11,17-76), codice **Parisino Lat. 8233 (sive Memmiano)** (μ) a. 1465 et codice **Vaticano Vrbinati Lat. 641** (v) saec. XV usus sum.

Haud dubie recensionis fundamenta in uera critica ratione Carolus Lachmann primus posuit, in editione sua a. 1816: omnes enim ante eum editores, cum in re critica optime progressi essent, attamen libris manu scriptis nisi erant quos sine ratione selegerant minimaque cura contulerant. Cum ex ingenti codicum mole Groninganum et Neapolitanum Lachmann elegisset, iniuria Gronigano palmam tribuit aliisque codicibus hic illic tantummodo usus est; praeterea Dauentriensem parui momenti esse duxit<sup>29</sup>.

Anno 1843 Keil, in dissertatione Bonnensi quae *Observationes criticae in Propertium* inscribitur, Neapolitano eandem auctoritatem atque codici Gronigano saltem tribuendam esse ostendit. Quam sententiam uir doctissimus M. Haupt<sup>30</sup> secutus est, ut eius uerba ostendunt: "bonos autem codices (. . .) libros dicimus Neapolitanum et Groninganum, non prorsus quidem illos a mutationi-

<sup>28</sup> Richmond JPh 31 (1910) 166sq.; cf. contra La Penna SIFC 25 (1951) 202-205.

<sup>29</sup> Cf. p. IX eius praefationis: "bonitate igitur, fortasse non item uetustate (. . .) principatum inter codices Propertianos tenent membranae Groninganae in Italia conscriptae"; p. X: "codicem Groninganum, qui ueram multorum locorum lectionem unus omnium indicat, proxime subsequuntur membranae Neapolitanae, quas Heinsius satis neglegenter et cum festinatione contulit, Neapoli ad s. Iohannem Carbonarium uisas"; Neapolitanum "uix inferiorem bonitate Gronigano" esse censet Lachmann.

<sup>30</sup> Ind. lect. hibern. 1854, = Haupt, Opusc. II 52; cf. etiam Ind. lect. aestiu. 1858, = Haupt, Opusc. II 102.

bus de industria factis liberos, quas ipsas altero cum altero diligenter collato cognoscimus, sed non contaminatos constanti emendandi studio quo Itolorum temeritas reliquos plerosque libros deprauauit”.

Insequentibus annis Guil. Ad. B. Hertzberg in editione sua<sup>31</sup> de codicibus idem fere sensit ac Lachmann, cum contra omnem fidem Groningano detrahere conati sint Heimreich<sup>32</sup> et Grumme<sup>33</sup>, quorum sententia unus Neapolitanus in textu constituendo magni est momenti; at dissimilem secuti sunt opinionem Luetjohann<sup>34</sup> et Heydenreich<sup>35</sup>, qui Groninganum auctoritate posthabendum Neapolitano nec tamen prorsus spernendum esse censuerunt.

Quod adinet ad textum constituendum noua aetas a. 1880 oritur, cum nonnulli uiri docti in Propertii carminibus recensendis ualde progressi sunt. Aemilii Baehrens editio, anno 1880 in lucem prolata, quattuor testibus (A F; D V) nititur, cum contra doctus ille uir ceteros codices pro interpolatis habeat; Neapolitanum ipsum e contaminatione inter duas familias, quas AF et DV testentur, originem ducere Baehrens autumat. Attamen Aemilius Baehrens in Propertii textu recensendo optime meritus est: primus enim codices A F D V magni momenti esse duxit et Groningano nullam fidem tribuendam esse ostendit; ualde eum errauisse patet, quod Neapolitani auctoritatem non perspexit eiusque lectiones singulas pro interpolationibus doctorum antiquae aetatis uirorum habuit<sup>36</sup>.

<sup>31</sup> Cf. eius editionis uol. I p. 231-249.

<sup>32</sup> Chr. Heimreich, Quaestiones Propertianae, diss. Bonn 1863.


<sup>33</sup> Grumme, cf. supra adnot. 10.

<sup>34</sup> Chr. Luetjohann, Commentationes Propertianae, Kiliae 1869.

<sup>35</sup> E. Heydenreich, Quaestiones Propertianae, diss. Lipsiae 1875.

<sup>36</sup> Cf. eius editionis p. IX: “non superfluum uidetur adicere, nusquam quidquam esse dandum illius lectionibus eis quibus ceterorum librorum bonorum consensus obstat: ubi solus pro se stat N, sanae artis praecepta omnia suadent ne quid priscae

Ex Aemilii Baehrens inquisitionibus hoc stemma euadit:



Eodem anno Fridericus Leo<sup>37</sup> aequam codicis Neapolitani aestimationem fecit, sed uehementer errauit nullam fidem ceteris libris manu scriptis tribuens: illius sententia A F D V “omnino nihil ualent”; quod tamen nullo certo argumento uir doctissimus comprobauit. Carolus Brandt in dissertatione Berolinensi a. 1880<sup>38</sup> complures locos tractauit ut codici Neapolitano palmam tribueret. Eodem anno de Propertii codicibus aequo animo iudicauit R. Ellis<sup>39</sup>, qui Neapolitanum longe super ceteros Propertii libros manu scriptos eminere intellexit, attamen A F D V non nihil ualere eorumque lectiones diligenter inuestigandas esse ostendit.

Anno 1882 Ricardus Solbisky<sup>40</sup> Propertii elegiarum recensionem codicibus N D V niti debere contendit; illius sententia duo archetypi apographa exstiterunt: ex altero N, optimus testis inter omnes, ex altero D V originem ducunt, cum contra A F ex utroque apographo contami-

scripturae forte fortuna seruatam statuamus, sed ut immutatae quocumque modo ueteris memoriae uestigia agnoscamus”.


<sup>37</sup> Leo RhM 35 (1880) 431-447.

<sup>38</sup> C. Brandt, Quaestiones Propertianae, diss. Berolini 1880.

<sup>39</sup> Ellis AJPh 1 (1880) 389-401.


<sup>40</sup> R. Solbisky, De codicibus Propertianis, diss. Lipsiae 1882, p. 139-194.

nato erroribus scateant nullaque genuinae traditionis uestigia ostendant, sed errores tantum aut interpolationes, praeter paucas correcturas, quae hic illic uerum Propertii textum nobis reddunt<sup>41</sup>. Quapropter hoc est Ricardi Solbisky codicum stemma:



<sup>41</sup> Solbisky p. 194: "est illorum (*scil.* codicum) praestantissimus Neapolitanus, cum non solum familiam A F optime repraesentet et cum D V in multis sinceris scripturis conspiret, sed etiam haud paucis locis uerum solus perhibeat, nec tamen unus sequendus, quia complures in eo obuiaae sunt interpolationes grauioraque menda. Alterum locum libri D V obtinent, quorum auctoritas ea in re posita est, quod compluribus locis soli genuina poetae uerba seruauerunt. Familiae autem A F lectiones (. . .) mixtae uidentur ab altera parte ex iis, quas fons Neapolitani proprias habebat, ab altera e scripturis patris librorum D V, quo fit, ut illa facile careamus (. . .). Omnibus igitur, qui in censum ueniunt, locis tractatis enucleasse nobis uidemur crisin Propertianam niti Neapolitano et familia D V."

Anno 1884 Fridericus Plessis, in libro qui inscribitur *Études critiques sur Propertius*, de codicibus Propertianis fuse disseruit; attamen eius inuestigationes nullum fere adiumentum in Propertii textu recensendo afferunt, ita ut non iniusta uideantur quae de eius critica ratione Housman iudicat<sup>42</sup>: "*Mr. Plessis, it must be said, is no critic*". Praeter codices N A F D V et Groninganum et Hamburgensem, quo Hertzberg iam usus erat, ad textum constituendum ualere censuit Plessis. Illius sententia ex archetypo duae familiae originem duxerunt: ad alteram pertinet N, qui optimum textum praebet, et A F, qui plurimas interpolationes exhibent; alteram D V constituunt, auctoritate inferiores Neapolitano et cum A F comparandi. Groninganus et Hamburgensis, quamquam contaminati codices sunt, ad textum constituendum ualent. Ex his inuestigationibus hoc stemma euadit, quod adinet ad optimos codices:




Quae Plessis statuit C. Weber secutus est<sup>43</sup>, cuius sententia N optimum textum praebet; codicibus D V maior fides tribuenda est quam codicibus A F, qui tamen cognatione Neapolitano sunt proximi.

<sup>42</sup> Housman, *Class. Pap.* 236.

<sup>43</sup> C. Weber, *De auctoritate codicum Propertianorum*, *Gymn. Progr.* Hagen 1887.

Annis 1893 - 1894 uir doctissimus idemque argutissimus A. E. Housman ostendere conatus est<sup>44</sup> N A F D V *F corr.* V<sup>2</sup> seiunctim ad archetypum restituendum ualere. Illius sententia AF et DV duas familias constituunt, quae e quodam codice deperdito (O) originem ducunt eandemque auctoritatem habent. Quod adinet autem ad Neapolitanum, e tribus fontibus is manat: primum de codice agitur quandam adfinitatem cum A F exhibente; deinde de alio codice cum D V artissime cognato; tum demum de quodam codice deperdito (Z), a duabus familiis ipsoque O omnino seducto. E codice Z plurimae correcturae manant, quas F et V exhibent (*F corr.*, V<sup>2</sup>). Vnde hoc stemma euadit:



<sup>44</sup> Housman JPh 21 (1893) 101-197; 22 (1894) 84-128. = Housman, *Class. Pap.*, Cambridge 1972, p. 232-304; 314-347.

Nullum librum manu scriptum exstare, qui supra ceteros emineat, censet Housman<sup>45</sup>; cuius tamen sententia si duos codices eligere debeamus ad textum constituendum, haud dubie D et N eligendi sint: alter enim optima est progenies codicis O; alter, cum e Z manet, genuinas lectiones hic illic nobis tradit, quas D non testatur.

Anno 1894 J. P. Postgate codicem Holkhamicum (L) contulit eumque cum A F artissime cognatum esse perspexit<sup>46</sup>. Quod ad ceteros libros manu scriptos pertinet, Neapolitano Postgate palmam tribuit, cum contra D V pro nihilo habeat; illius sententia D V communes cum N lectiones exhibent, quae ex ipso N manant aut e communi fonte; praeterea D V textum multifariam interpolatum praebent. Quae Postgate censuit acerrime ab Housman exprobrata sunt<sup>47</sup>: is enim statuit codicem Holkhamicum nullam auctoritatem habere ideoque ex apparatu expellendum esse; si L contra N cum F conspirat, is Laurentianum confirmat; perraro autem eiusdem fontis lectiones exhibet, e quo et *F corr.* et V<sup>2</sup> bonas lectiones depromunt.

Auctoritate summa codicis Neapolitani ab omnibus probata - quod adfirmare nunc licet pace uiri docti A. E. Housman - necessario controuersiae magis magisque de ceteris codicibus, praecipue de D et V, exstiterunt. Quod adinet ad hanc rem, uide infra. Nunc tantum dicam a. 1898 Fridericum Leo, commentarii a Rothstein redacti censuram facientem, sententiam suam de D V mutauisse: is enim eorum lectiones non omnino spernendas esse censuit. Mediae aetatis archetypum omnium codicum fontem esse statuit; praeterea N e codice non ita pridem exarato originem ducere fontemque communem codicum A F D V nonnullas corruptelas aut interpolationes

<sup>45</sup> Housman, *Class. Pap.* p. 346.

<sup>46</sup> Postgate TCPHS 4 (1894) 1-83.

<sup>47</sup> Housman CIR 9 (1895) 19-29. = Housman, *Class. Pap.* p. 351-368.

iam exhibuisse autumat Leo; fontes autem codicum A F et D V, ut ille putat, complures interpolationes doctorum uirorum aetatis qua humanae litterae sunt restitutae praebent. Vt cumque res se habet, "*jeder dieser drei Zeugen kann authentische Überlieferung bieten, denn die Urhandschrift hatte Varianten*"<sup>48</sup>.

In Propertii textu recensendo maximi momenti sunt uiri docti B. Ullman inquisitiones<sup>49</sup>: is enim ostendit F e Petrarcae libro manu scripto, qui ex A manauerit, fluere, ideoque et ipsum F ex A originem ducere omnesque codices recta uia aut oblique ex N aut ex A ortos esse.


Insequentibus annis non multum noui attulerunt uiri docti, qui de tota hac re disseruerunt; nullum enim auxilium aliquot codices afferunt, quos interdum nonnulli editores e tenebris deprompserunt<sup>50</sup>. De codicibus Pro-

<sup>48</sup> Leo, Kl. Schr. II, p. 186.

<sup>49</sup> Ullman CIPh 6 (1911) 282-301.

<sup>50</sup> Quod adinet ad codicem Lusaticum, quem non parui momenti esse et P. Koehler, De Propertii codice Lusatico, diss. Marburgi 1899, et Th. Heukrath Phil. 64 (1905) 410 censuerunt, cf. Hosius in editione a. 1911, p. IX, Postgate CIR 20 (1906) 349-352; 25 (1911) 109. Quod adinet ad nonnullos codices, quorum lectiones O. L. Richmond in apparatu editionis suae (Cantabrigiae 1928) recepit, cf. La Penna SIFC 26 (1952) 8-14. Contra Palat. Vatic. lat. 910, cui Bonazzi in editione sua (Romae 1939) perperam palmam tribuit, cf. Enk I 1,51-54, La Penna SIFC 26 (1952) 14sq.; contra tres codices Salmanticos Bibliothecae Vniuersitatis, quos Antonius Tovar in editione sua a. 1963 adhibuit, cf. nuperrime quae iure contendit La Penna, Integr. p. 246. De aliis deterioribus codicibus cf. Th. Struve Phil. 13 (1858) 387-394; R. Schöll Phil. 23 (1866) 346sq.; H. Schenkl WSt 3 (1881) 160; M. Isler Centralbl. f. Bibliothekswesen 1 (1884) 444-447; O. Neumann, De Propertii codice Vrbinate 641, Lusatico, Vaticano 3273, diss. Greifswald 1914; G. Cremaschi Aeuum 29 (1955) 88-94. Quod pertinet ad Propertii florilegia cf. D. M. Robathan CIPh 33 (1938) 188-197; Ph. W. Damon CIPh 84 (1953) 96sq.

pertianis fuse dilucideque disseruit Antonius La Penna<sup>51</sup>, cuius disputatio codicis P cognationem cum D V Vo praesertim patefacit. Illius stemma exscribo, quocum consentio, quod adinet saltem ad codices, quibus in editione critica usus sum. Aliam sententiam de codicum contaminatione sequor; si enim, ut infra ostendam, consensu in genuina lectione omisso, exempla in erroribus consensu perspexerimus, contaminatio tam perspicue non patebit.



<sup>51</sup> La Penna SIFC 25 (1951) 199-238; 26 (1952) 5-36.



Nuperrime his uerbis Antonius La Penna peruestigationes suas confirmauit:

*"la ricostruzione del capostipite della seconda famiglia non è facile quando fra i codici della famiglia non vi è accordo. La difficoltà è determinata dal fatto che, se F si può ritenere non contaminato, gli altri codici risentono, quale più quale meno, di una rielaborazione del testo incominciata già nei primi decenni del sec. XV: tale rielaborazione da un lato attinge lezioni buone o interessanti dalla prima famiglia (...), dall'altro emenda per congettura, nella massima parte dei casi banalizzando, in qualche raro caso offrendo soluzioni felici o degne di attenzione"<sup>52</sup>.*

Si totam de codicum adfinitate quaestionem resumimus, adfirmare possumus ex archetypo (ω) duas familias manuisse: altera (x) Neapolitanum testem habet, altera (y) ex A F L P D V Vo constat.

Inter codices ad y pertinentes artiore uinculo inter se cohaerent A F P (ab initio usque ad 2,1,63); cf. haec exempla selecta:

1,1,1 cepit] fecit A F P (corr. F<sup>4</sup> P<sup>2</sup>); 1,2,26 culta] una A F P D<sup>2</sup> (corr. F<sup>4</sup> P<sup>2</sup>); 1,6,15 om. A (suppl. man. rec.) F P (add. ead. man.); 1,6,25 quem] iam A F (corr. F<sup>4</sup> P); 1,8,1 cura] culpa A F P (corr. F<sup>4</sup> P<sup>2</sup>): curpa A<sup>2</sup>; 1,10,25 irritata] irritatura A F P (corr. P<sup>2</sup>); 1,13,5 fama] forma A F P (corr. P<sup>2</sup>); 1,14,19 limen om. A F (add. F<sup>4</sup>) P (add. ead. man.); 1,17,19 sepelissent] peperissent A F P (corr. A<sup>2</sup> P<sup>2</sup>): rupissent F<sup>4</sup>; 1,21 priori coniungunt A (seiungit A<sup>2</sup>) F P.

Quod adinet ad F P (a 2,1,63 usque ad 2,21,3) cf. haec exempla:

2,3,3 requiescere] cognoscere F (corr. F<sup>4</sup>) P; 2,3,17 saltat] iactat F (corr. F<sup>4</sup>) P; 2,3,29 tu nata] limata F (corr. F<sup>4</sup>) P; 2,6,9 pictae facies] facies pictae F P; 2,9,38 precor] quidem F (corr. F<sup>4</sup>) P V<sup>2</sup>; 2,11,1 de te alii] alii de te F P; 2,16,15 amorem] amicam F P D<sup>2</sup>;

<sup>52</sup> La Penna, Integr. p. 245.

2,18,10 abiunctos om. F P; 2,18,25 est om. F (add. F<sup>4</sup>) P; 2,19,9 nullij nudi F (corr. F<sup>3</sup>: quod non F<sup>4</sup>) P; 2,19,30 muscosis] fuscosis F P (corr. F<sup>3</sup> P<sup>2</sup>).

Quod adinet ad F L P (a 2,21,3 usque ad finem) cf. haec exempla:

2,21,3 pudet om. F (add. F<sup>4</sup>) L P (add. ead. man.); 2,21,7 te om. F L P; 2,22,7 nostrij quoniam F (corr. F<sup>4</sup>) L P D<sup>2</sup>; 2,22,24 officium] hospitium F (corr. F<sup>4</sup>) L P; 2,22,29 e om. F L P; 2,26,39 Argus] argo N Δ F<sup>2</sup> P<sup>2</sup>: ergo F L P, corr. c; 2,26,41 desit] spectat F (corr. F<sup>4</sup>) L P (corr. ead. man.); 2,29,27 narratum] narrabat F L P; 2,29,41 deludor] reludor N: rector F L P: recludor Δ, corr. Housman; 2,30,39 capitij campi F (corr. F<sup>4</sup>) L P; 2,32,8 tibi me] time N: timeo F L P (corr. ead. man.); 2,32,13 platanis creber pariter] creber platanis pariter F (pariterque F<sup>2</sup>) L P: cr(a)eber pariter platanis Δ; 2,34,48 laqueis] lacrimis F (corr. F<sup>4</sup>) L P (corr. ead. man.); 3,1,38 est om. F L P; 3,3,9 uitricesque] uitrices F L P; 3,5,12 arma] ora F L P (corr. F<sup>4</sup> P<sup>2</sup>); 3,11,39 nou. eleg. inc. F L P; 3,19,4 captae] liber(a)e F L P; 4,2,28 corbis in] corbis F L P: corbis ab D V (corr. V<sup>2</sup>); 4,3,9 pictoque] picto F (-que add. F<sup>4</sup>) L P; 4,4,1 turpe] pulchre F L P (corr. F<sup>2</sup> P<sup>2</sup>); 4,11,68 unum om. F L P, suppl. F<sup>4</sup> P corr.

Inter A F L P artiore uinculo inter se cohaerent A F (usque ad 2,1,63) et F L (a 2,21,3 usque ad finem); cf. enim haec exempla:

1,1,13 uulnere] arbore A F (ab s. l. F<sup>4</sup>); 1,1,22 palleat] placeat A F; 1,8,4 me om. A F (add. F<sup>4</sup>); 1,15,7 Eois] et chois N: h(a)ec chois (choys) A F: ehoys F<sup>2</sup>; 1,18,7 inter numerabar] numerabar inter A F; 1,22,10 fertilis] ferulis A F (corr. F<sup>4</sup>).

2,22,33 classis] calces F (corr. F<sup>4</sup>) L: casces P; 2,24,41 periisse] peperisse F L; 2,24,46 seruato] ab infido P D V (corr. V<sup>2</sup>): fallaci Vo F<sup>3</sup> D<sup>2</sup>: seruato om. F (add. F<sup>4</sup>) L; 3,3,21 est om. F L; 3,5,35 plaustra Bootes] flamma boon N: flamma palustra F L: plaustra boet(h)es P in ras. Vo; 3,6,5 nuntius esse] esse F (nuntius add. in mg. F<sup>4</sup>) L: esse relator P V L<sup>2</sup> D<sup>2</sup>; 3,13,35 inuleij] atque humili (ut uid.) N: humili F L: humilis P: hinuli Δ F<sup>4</sup>; 3,16,13 erit om. F (add. F<sup>4</sup>) L; 4,1,144 oculis om. F (add. F<sup>4</sup>) L; 4,2,29 est om. FL; 4,11,64 uestro om. F (add. F<sup>4</sup>) L.

Ceteri familiae y codices (D V Vo, quorum consensus siglo Δ designari solet) artissimo uinculo inter se cohaerent; inter sescenta exempla in quibus Δ aliam atque ceteri codices lectionem praebet, haec in primis interpolationem redolent:

